



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 40. Parisiensium libellus ad Facultatem Theologicam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

„Episcopo Patritio Veneto, quem ad te  
 „missurus sum, idonee caveatur.

Sæcul. XVI.  
 A.C 1590.

Igitur securitatis literis mox trans-  
 missis Marcus exeunte Mense Aprili  
 Briam-Comitis-Roberti pervenit: ve-  
 rum cum hic nil nisi inducias, donec  
 Oratoribus Romam, atque in Hispa-  
 niam decretis de ipsa pace agi possiet,  
 obtinere intenderet, Bironius hæc re-  
 spondit: „Rex, & Principes, ac prima-  
 „rii regni proceres, qui circa ipsum sunt,  
 „non modo inducias inire, sed etiam  
 „de pace agere parati sunt, nilque ma-  
 „gis optant, quam ut pacis faciendæ  
 „rationes salvo jure ipsius, ac dignitate  
 „quamprimum ineantur, cum eas a  
 „Principibus exteris exspectari neque  
 „tutum, neque sibi, gallicoque nomini  
 „honorificum existimet.

Episcopus Bria re infecta discessit,  
 haud obscure intelligens, quod Regis  
 rebus melior, quam Parisiis vulgaba-  
 tur, fortuna adspiraret: porro idem in  
 itinere Henrico IV. obviam factus diu  
 cum eo conferebat, omni obsequiorum  
 genere, ac benevolentix signis exceptus.

§. XL.

*Parisiensium libellus ad Facultatem  
 Theologicam.*

Interea Henricus IV. omnibus pontibus  
 tam Icaunio, quam Sequanæ flumi-  
 ni

*Mem. de  
 la Lig.  
 pag. 289.  
 Thuan. l. 89.*

E 5



Sæcul. XVI. ni impositis feliciter superatis Latinia-  
 A.C. 1590. cum occupavit, hacque ratione Matro-  
 nam annem trajiciendi opportunitate  
 adempta die nona Maji Calam perve-  
 nit, indeque promotis castris altera die  
 copias suas Parisinæ Urbi admovit. Bi-  
 duo ante sexdecim Regionum Rectores  
 libellum a Mercatorum Præfecto. Aedi-  
 libus, ac pluribus, iisque præcipuis ci-  
 vibus, & Notariis subscriptum, necnon  
 Urbis sigillo munitum Facultati Theo-  
 logicæ porrexerunt, in quo a Sorbonici  
 Collegii Doctoribus petebant, ut suam  
 sententiam circa tres quæstiones pro-  
 ponerent, quarum decisio ad diuidia,  
 quæ hucusque inter hanc Metropolim,  
 & Navarræ Regem fervent, compo-  
 nenda, necnon ad conscientiæ anxie-  
 tatem in probis Catholicis tollendam,  
 atque ad promovendam Dei gloriam,  
 hæresimque penitus eliminandam pluri-  
 mum conduceret: porro tres hæ quæ-  
 stiones erant sequentes. I. An tunc,  
 si incideret mors Regis optimi Caroli X.  
 aut interea, dum idem injusto carcere  
 detinetur, in favorem Henrici Borbo-  
 nii Regni jus abdicaret, Galli aut pos-  
 sint, aut salva conscientia debeant me-  
 moratum Henricum, aut etiam Princi-  
 pem sectariæ pestis fautorem in Regem  
 admittere, postquam idem a criminibus,  
 & censuris fuit absolutus, cum evidens  
 pericu-



periculum immineat ab ejus perfidia, & Religionis, ac regni subversione. II. Quærebant, an de hæresi suspectus, aut fautor dici debeat, qui pacem cum præfato Henrico fieri procurat, & cum eam impedire possit, permittit. III. Sciscitabantur, an hæc jure divino decisa sint, aut a Catholicis citra peccatum, & vitæ æternæ jacturam omitti valeant. IV. Interrogabant, an econtrario gratiam apud Deum mereatur is, qui se toto studio Henrico opposuerit, & ille, qui ad sanguinis usque effusionem resistit, vere martyr dici debeat.

## §. . XLI.

*Decisio Facultatis Theologicæ circa  
Henrici IV. Successionem.*

Ob hæc tres quæstiones Facultas conventum sæpius habuit, & tam totum Collegium, quam ejusdem Deputati omnes tres articulos sigillatim mature examinabant, ac tandem suam sententiam his verbis pronuntiabant. „Jure Divino „præceptum est, ut non Catholici hominem sectarium, aut sectarii mali fautorem, & manifestum Ecclesiæ hostem, „multoque minus relapsum, & a sancta „Sede nominatim ab unione Catholica „exclusum ad regnum admittant, quamvis vero talis absolutionem a criminibus, ac censuris in foro exteriori impetraverit,

Sæcul. XVI,  
A. C. 1590.

*Mem. de la  
Lig. p. 290.  
Thuan. l. 98.*